

Adversaria Sallustiana.

Sall. Cat. 55, 1: Postquam senatus in Catonis sententiam discessit, consul optimum factu ratus noctem quae instabat antecapere, ne quid eo spatio novaretur, triumviros quae [ad] supplicium postulabat parare iubet, ipse praesidiis dispositis Lentulum in carcerem deducit.

Omnes a Carrione usque ad Cortium, rursus a Gerlachio Kritzioque ad H. Jordanum Sallustii editores praepositionem ad omnium mscr. librorum auctoritatibus munitam tamen ut a librariis intricatam, quod consulem subiectum esse putarent, excerpendam delendamque statuerunt. Unus Gruterus eo processit, ut triumviros supplicium parare iubet ab auctore solum scriptum esse existimaret.

Sed cum praepositio illa in omnibus omnium generum libris inveniatur, auctorem correctoremve archetypi errore pravae structurae caecum obscuritatem dicendi simplicissimo eloquendi genere mutavisse hoc certe parum veri simile est. Nam vocabulum plane supervacaneum, nisi quis in exemplaribus vetustissimis inveniret, quem tandem additurum fuisse putabimus? Immo illud sincerum et verum ac vitii originem aliam requirendam esse dubitari non potest. Exstatque veri vestigium in praeclarissimo libro Par. Sorb. 500, quo in libro parare ex parere correctum et mutatum esse H. Jordanus auctor est.

Nec parendi verbum non commodum locique universi rationi conveniens videtur. Nam vere in Schulzii Diff. Serm. Lat. § 38 demonstratum est, tamquam contrarias inter sese latine opponi parendi et imperandi notiones. Ut imperare summi magistratus est, ita minoris officium manet parere. Quodsi consul tresviros parere iubet, eos sibi ad iussa exequenda adesse omniaque quae in rem futura sunt parare edicit. De ministris magistratuum usu tritum est apparere, veluti Cic. p. Cluent. 147: quid sibi autem illi scribae, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quaestioni video, volunt?

Nec minus usitatum fuit hoc in genere parendi verbum, cf. Gell. X 3, 19: Bruttios ignominiae causa non milites scribebant, sed magistratibus in provincias euntibus parere et praeministrare servorum vicem iusserunt. Nec in accensorum ministeriis designandis hoc verbum contineri, sed latius etiam patere ac magistratum quoque oboedientiam comprehendere, inde elucet quod proprie dicitur senatus auctoritati parere, cf. Merguet Lex. Cic. III 533.

Sed quoniam tresviri non omnino consulis voluntati erant obnoxii, sed pro muneri ratione ad certa officia praeministranda adigebantur, ideo Sallustius non dixit tresviros ad supplicium parere iubet, cum praesertim hoc ambigue eloqueretur, sed consulare ius definiens et circumscribens ita hac de re exposuit: tresviros quoad supplicium postulabat parere iubet. Hoc enim ab ipso Sallustio profectum primo in vulgarem formam quoad abiisse arbitror, qua de forma satis est praeter Inscriptiones inspexisse H. Keilii Cat. Varr. Rusticorum p. 119, 10 et 186, 8, deinde vocabulum quoad in lucidiorem videlicet formam quae ad transmutatum esse probabile videtur. Itaque nisi opinio animum fallit, scripturae integritas unius Parisini sinceritati debetur. Cuius rei exemplum aliud eodem loco § 5 mihi deprehendisse videor: in eum locum postquam demissus est Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere.

Facile concedimus tresviros capitales vocari potuisse vindices rerum capitalium, illud pernego potuisse Sallustium adicere: quibus praeceptum erat. Nam si quidquam adderet, eloqui debuit uti praeceptum erat.

Accedit quod prorsus incredibile est illud servile munus a magistratibus non delegatum fuisse in carnifices. Atque horum notionem Sallustius circumscripsit: ei quibus praeceptum erat, eadem prorsus arte et humanitate, qua posthac Curtius usus est III 2, 19: Haec vociferantem quibus imperatum erat iugulant, aut imitator Sallustii Dictys Cret. V 4 at lucis initio quibus imperatum erat ad naves veniunt. Sed haec omnia iam pridem persecutus est Curtius, mihi relinquitur ut ostendam in optimo Parisino praeter emblemata quod detexit Curtius veri vestigium servatum esse: et = ei. Nam et indices vel et iudices non ex vindices natum sed iudices et vindices promisce confundi solere libris mscr., hoc quidem docuit Curtius auctoritate A. Drakenborchii ad Silium Ital. II 456.

Vera praeterea scriptura unici Parisini fide et auctoritate nobis servata est Iug. 98: neque in eo tam aspero negotio Marius territus aut magis quam antea demisso animo fuit, sed cum turma sua vagari passim ac modo laborantibus suis succurrere, modo hostis, ubi confertissimi obstiterant, invadere.

Romani subito hostium incursu oppressi vix eorum impetus defendebant nec hostes Romanis obsistere cogebantur lacescentibus, sed ultro ex planitie advecti Romanos involabant, ut quamvis obsisterent et obniterentur tamen multitudini vix resistere possent. Ita obsistendi verbum non cadere in hostium impetus et impressionem ex rerum ratione et ordine satis apparet. Huic difficultati succurrit testis

noster Parisinus, in quo abstiterant non obstiterant repertum est. Hoc autem leviusculo vitio deformatum lenissima medela restituitur: adstiterant. Idque verbum eodem fere modo adhiberi videmus Cat. 59, 3: centuriones omnis in primam aciem subducit, C. Manlium in dextra, Faesulanum quendam in sinistra parte curare iubet: ipse cum libertis et calonibus propter aquilam adstitit. Nam perfectum priore Parisini manu commendatum praesenti vulgato adsistit praefendum duco: iussis Catilinae explicatis narratio deflectit ad ipsius imperatoris actionem memorabilem et virtute praeuocentem. Sed quamvis in temporum usu iudicia varient, verbum ipsum certum ac sanum est. Memorari vero attinet Tacitum in verborum electione Sallustii haud raro aemulum illum Iugurthini belli locum imitatum esse in Ann. II 67: mirumque dictu, duo hostium agmina diversa fuga, qui silvam tenuerant, in aperta, qui campis adstiterant, in silvam ruebant. Praeterea cf. Agr. 36, 10 stratis qui in aequo adstiterant.

Quae adhuc disputavi, ea non modo fidem faciunt Parisino libro, sed simul in optimo codice Sallustii orationem adfectam esse docent. Quare mirum non erit, si aliquot locis omnium librorum fide et auxilio destituimur. Huc referendum credo Jug. 14, 6: quorum progeniem vos, patres conscripti, nolite pati me nepotem Masinissae frustra a vobis auxilium petere.

Difficultatem huius loci perspexerunt veteres philologi, Bongarsius Putschius Gruterus Cortius, sed nimis crudeli remedio sustulerunt, cum verba me nepotem Masinissae tamquam ex § 2 huc illata eiecerunt. Sed tamen quae nunc est oratio, ea stare non potest. Quae quidem Kritzius contra Cortium protulit, futtilia et inania sunt. Adherbalem, maiorum meritis et gratia subnixum, cum aliae auxilii causae non suppeterent, in hac re commemoranda nimium esse nec in universum talis familiae se progeniem dixisse sufficere cum crederet, — Masinissam a Romanis magni olim factum diserte memorare. Quasi vero exaggerationis studium omnem et rationis et orationis conformationem reprimere aut extinguere liceret! Nam quod Kritzius me ad primariam sententiam spectare indicat, tum verba Masinissae nepotem appositionis rationem habere existimat, nec cum ipsa ratione nec cum ulla oratione congruit. Ac tamen recentissimi interpretes non modo hanc cramben repetendam curaverunt, sed etiam admirabilem pulchritudinem in hac Kritziana distinctione sibi invenisse videbantur: quorum progeniem vos, p. c., nolite pati me, nepotem Masinissae, frustra a nobis auxilium petere! Hunc in modum si Sallustius eloqui vellet, dixisset profecto: quorum me progeniem et nepotem Masinissae. Sed hoc quoque absonum esset. Quid autem Adherbal dixerit, facile colligitur ex eo, quod prohibitivo nolite pati veteres scriptores adhortativum praemittere consueverunt. Ita conformata est peroratio § 25: subvenite mihi misero, ite obviam iniuriae, nolite pati regnum Numidiae per scelus et sanguine (ita est corrigendum, vulgo fertur sanguinem) familiae nostrae tabescere. Curt. III 8, 2 si id consilium damnaret, at ille divideret saltem copias innumerabiles neu sub unum fortunae ictum totas vires regni cadere pateretur. Huc pertinet ipsius Adherbalis

oratio § 7: erat maiestatis populi Romani prohibere iniuriam neque pati cuiusquam regnum per scelus crescere. Ad haec exempla lacunosam orationem hunc in modum suppleri posse credo: quorum progeniem vos, p. e., prohibete ab iniuria, nolite pati me nepotem Masinissae etc. Ut prohibete ab iniuria, non solum iniuria proponerem, adduxit me non tam Ing. 22, 4 aut 45, 3, quam 107, 1 at Sulla, quamquam eadem existumabat, tamen ab iniuria Maurum (i. e. Volucen) prohibet, h. e. ne iniuriam patiatur.

Multo maior occurrit difficultas Ing. 97, 5. Ibi Jordanus semel atque iterum propria, si dis placet, emendatione subnixus haec edidit: pugna latrocinio magis quam proelio similis fieri, sine signis sine ordinibus equites peditesque permixti cedere alius alius obtruncari, multi contra adversos acerrime pugnantes ab tergo circumveniri. Nec quidquam proficitur, si apud Wirzium et Schanzium Linkeri exemplo et auctoritate cedere alii alii obtruncari correctum est.

Multo enim magis illud miror ita describi Romanorum funestissimam cladem, proinde quasi ne repugnare quidem fuerint ausi, eosdemque Romanos cedere coactos vel obtruncatos, denique ab tergo circumventos tamen ad extremum orbis facere et hostium vim sustentare potuisse! Sed quamvis iniqua fuerit Romanis pugna, cum se ab hostibus undique circumfusus defensarent, non illud modo, quid vulneris acceperint, exaggerare, sed obnitentium et resistentium conata memorare debuit Sallustius. Atque huiusce rei vestigia in codicibus inveniuntur certissima, quorum testimoniis primum alios alios deinde activum obtruncare confirmatur. Hinc non modo veri simile sed verissimum est ab Sallustio duo agendi verba fuisse usurpata, quorum unum esse confido caedere alios, alterum coniectura et ratione reperendum est. Nam obtruncantes collocari non potuisse propter caedentes, non est profecto quod pluribus disseram. Quodsi recordamur equites peditesque in aciem processisse permixtos, hostes alios militum vi caesos, alios equorum unguis conculcatos esse colligitur. Nec vero hac ratione ipsum Sallustii verbum credo restitutum. Immo requiritur eius modi dictio, quae litteris ipsis propius accedat ad traditam scripturam, rariore vero usu cum obtruncando facilius permutari potuerit. Haec autem in obculcandi verbum quadrant, quod et apud Livium (XXVII 14, 7) de elephantis dictum est et Catonis Varronisque auctoritatibus comprobatur. Sub finem huius descriptionis corruptela laborari omnes consentiunt: denique Romani veteres novique et ob ea scientes belli, novitas enim addere non solet scientiam, quid quod ne veterem quidem militia maiorem comparatur belli scientiam, nisi industria aut virtus ac strenuitas accesserit. Vitium mihi eo referendum videtur, quod sedes litterarum u et n nescio quo casu permutata est, siquidem uoni nihil est nisi boni, scriptura pronuntiationi adsimulata. Idemque vitium nuper emendavit Madvigius apud Senecam in Epp. 118, 7: maiorque pars miratur ex intervallo fallentia et volgo bona (i. e. nova) pro magnis sunt. Recepit quidem Scheindlerus illud quod anno 1876 Conzeni contorta interpretamenta (progr. gymn. Darmstadiensis 1876, p. 1459) aversans pro-

posueram veteres navique, sed paulo post, cum a Sallustio ignaviae semper adiectiva bonus melior optimus contraria opponi vidissem, hoc ipse reprobavi.

Ing. 38, 10: Quae quamquam gravia et flagiti plena erant, tamen quia mortis metu mutabantur, sicuti regi lubuerat pax convenit.

Verbum mutabantur falsum et errore natum sententiarum tenor et contextus coarguit. Aliud quidem quam quae non quit subesse subiectum. Condiciones autem iniquae non timoris loco accipiebantur, ut alterum in alterius locum succederet-eiusmodi argutiae in re seria Senecae magis quam Sallustii ingenio dignae sunt —, sed ipso timore mortisque pavore condiciones illae vel uenditabantur vel commendabantur, ut contra dignitatem militiae Romanae tamen acciperentur. Debet igitur emendari: quia mortis metu commendabantur. Quod verbum cum rustica forma cummendabantur mutatum esset, postremo propter similem antecedentis nominis exitum (tu = cu) syllaba cum absorpta reliqua pars in usitatam vocem transfiguratum est. Similiter Tac. Dial. 12 commendata ex commoda eruit Muretus.

Minora relinquens me convertam ad Adherbalis orationem § 11: ecce autem ex improvise Iugurtha, intoleranda audacia scelere atque superbia se efferens (sic, non sese recte optimi codd.), fratre meo atque eodem propinquo suo interfecto, primum regnum eius sceleris sui praedam fecit. Paulo post § 14 idem Adherbal dixit: pater nos duos fratres reliquit, tertium Iugurtham beneficiis suis ratus est coniunctum nobis fore.

Iugurtha ipso genere propinquus adoptione exstitit frater, qui quamvis naturali amore careret, beneficiis tamen et pietate duobus fratribus coniunctus haberetur. Nam tametsi Adherbal sanguinis et adoptionis coniunctionem iure et merito discernit, fratris tamen nomen non plane aversari potest aut minuet fraternae necis indignitatem. Eo magis mirum, quod deinceps § 15 ita pergitur: fratri, quem minime decuit, propinquus per scelus vitam eripuit. Hic enim acerbitas ac vis et aculeus orationis, quae in verbis quem minime decuit facile cernuntur, adiuncto et adnexo nomine propinquus mirum quantum infringuntur. Quanto maior et sanctior propinquitatis ratio significabitur, si non subsequatur illud nomen, quo arctissima pietatis sanguinisque coniunctio diserte excluditur. Priore etiam loco multo maior persentitur acerbitas, si Adherbal dicat fratre meo atque eodem suo, quo simul communitio sanguinis prohibeatur et facinoris impietas augeatur, cum illud oranti propositum sit, ut sceleris infandi immanitas intendatur potius verbis quam elevetur. Quare utroque loco grassatam arbitror interpolationem, cuius originem ac fontem revocaverim ad interpretationem parum commodam horum verborum: adfinis amicos propinquos ceteros meos alium alia clades oppressit.

Aut ego fallor aut etiam nunc gravissimum vitium latet Ing. 31, 19: qui si dediticius est, profecto iussis vestris oboediens erit, sin ea contemnit, scilicet existumabitis qualis illa pax aut deditio sit. Iugurtha aut re vera dediticius est aut deditioem simulavit: illud ex oboedientia, hoc ex contemptu populi Romani voluntatis cognoscetur. Inde temporibus inter se respondere manifestum

est non dediticus est et contemnit, sed oboediens erit et contemnet. Ita enim ex Vaticano libro emendandum esse mihi iam persuasum est.

Iug. 88, 4: ita Iugurtham aut praesidiis nudatum, si ea pateretur, aut proelio certaturum.

C. Marius cum Iugurtham ex sociis populi Romani praedas agentem saepe aggressus in itinere fudisset nec ad pacem aut deditionem cogere potuisset, urbes opportunissimas singulas circumvenire statuit, ut Iugurtham aut praesidiis suis nudaret, aut, si ea non pateretur, in periculum universi proelii adduceret. Ex hac sententiarum ratione corrigi debere colligitur: ita Iugurtham aut praesidiis nudaturum, si ea pateretur, aut proelio certaturum. Corruptam esse vulgatam lectionem nec suppleri licere fore, hoc iamdudum perviderat in ed. anni 1834 Fr. Kritzius.

Sall. Cat. 41, 5: Cicero legatis praecepit, ut studium coniurationis vehementer simulent ceteros adeant bene polliceantur, dentque operam uti eos quam maxime manifestos habeant. Summum Ciceronis consilium non eo ferebat, ut Allobrogum legati coniurationis principes manifestos haberent, sed ut ipse eos sua quasi confessione constrictos teneret. Quod cum ita sit, emendandum videtur: manifestos habeat.

Cat. 43, 1: At Romae Lentulus cum ceteriis, qui principes coniurationis erant, paratis magnis copiis, constituerant uti, cum Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu venisset.

Turbas Romanas sub adventum Catilinae ad urbem ipsam paratas fuisse cum per se manifestum est tum Ciceronis exemplis comprobatur, cf. Zeitschrift für Gymn. XXXI 284. Ibidemque Dietschii Rauchensteiniive commenta recte refutavit Wirzius. Sed quod idem ille proposuit in agrum suburbanum, parum corruptelae originem explicat. Mihi vulgaris ac tradita scriptura videtur referenda ad hoc: cum Catilina in agrum. r. Faesulano cum exercitu venisset, i. e. in agrum Romanum.

Cat. 57, 4: neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditos in fugam sequeretur.

Haec mscr. lectio est loci multis nominibus corrupti. Ac primum nominis syllabam extremam a sequenti verbo abruptam esse patet: fuga insequeretur. Nam qui hostem sequitur, ut eum proelio certare cogat, is insequi hostem dicitur. Deinde Antonii commodum, hostis incommodum commemoratur: illi locorum aequitas opportuna fuit, Catilinae agmen fuga impeditum erat. Qua re primo inexpeditos erratum fuisse arbitror ita, ut in supra versum tollendi erroris causa adderetur. Quo facto postmodum praepositio in cum fuga coniuncta est. Nam quod Ritschelii auctoritatem (Opusc. III 822) secuti expedito permulti scribendum et cum exercitu sociandum putaverunt, hoc ideo reprobandum est, quod Sallustius non exercitu, sed magno exercitu dixit. Itaque nihil nisi hoc unum relinquitur, ut ab Antonio duo commoda fuisse statuamus, et exercitus magnitudinem et locorum aequitatem; quae commoda propter se posita et per chiasmi figuram admodum elata omnem participii adiectionem prohibent. Hostes igitur fuga impeditos fuisse colligitur. Quare proponere

mihī licet: utpote qui magno exercitu locis aequioribus impeditos fuga insequeretur.

Or. Lep. 7: nisi forte speratis taedium iam aut pudorem tyrannidis Sullae esse et eum per scelus occupata periculosius dimissurum.

Sulla per scelus occupavit rempublicam, nec verisimile qui scelus non reformidaverit rei adipiscendae causa, eam ut omittat, periculum suae salutis facturum. Itaque non periculum occupatae reipublicae cum maiore dimissae reipublicae periculo comparatur sed in uno eodemque homine sceleris audaciam et vitae contemptum propter eiusdem rei studium inesse negatur: qui summam rei publicae per scelus consecutus sit, eum periculo suo dimissurum partam potentiam parum probabile esse.

Facile illud animadvertitur graviore et pleniore sono per scelus et periculo suo quam per scelus et periculosius inter sese obiecta efferri. Malim praeterea occupatam sc. tyrannidem. Nam si nentri pluralis optime stare potest, hoc tamen loco opinio subrepat, res occupatas discrepare cum tyrannide ipsa.

Lepidus ita pergit dicendo (§ 8): at ille eo processit, ut nihil gloriosum nisi tutum et omnia retinendae dominationis honesta aestumet. Quasi vero tutum natura sua turpitudinem aut contumeliam habeat! Quod contra est. Ergo tutum illud non modo obscurum sed corruptum est. Ac nescio an metum litteris illis lateat. Sallustius quidem metum pro terrore saepius adhibuit.

Cat. 23, 4: At Fulvia insolentiae Curi causa cognita tale periculum rei publicae haud occultum habuit, sed sublato auctore de Catilinae coniuratione quae quoque modo audierat compluribus narravit.

Ibi quoque modo explicandi studiorum artificiorumque admirabilem varietatem impulit, quam hoc loco repetere ac denuo refutare mihi in animo non est. Eius modi artes qui curaverit, omnes fere in Kritzii Wirzii Schanzii editionibus coniunctas inveniet. Satis est in optimo quoque libro non quae quoque modo sed quae quomodo traditum esse advertisse. Ad hanc igitur archetypi scripturam omnis sive interpretatio sive emendatio adcommodanda est. Et quoniam illa sanam non admittit explicationem, reliquum est, ut probabilior adhibeatur emendatio. Haec autem ex ipso sententiarum contextu repetenda est. Q. enim Curius Fulviae iam dudum se iactaverat, cum vero ex domestica et clandestina Catilinae contione (c. 20—22) redux imperium ac dominationem urbis Romae iam in manu habere credidisset, non modo gloriari sed etiam minari coepit. Postremo homo tam ferociter agitavit, ut Fulviae quo in consilio suam spem reponeret aperire non dubitaret. At illa timore perculsa ut de coniuratione audierat ita e vestigio compluribus enuntiavit. Hinc verum esse patet: quae modo audierat. Nec quidquam vitii relativorum permutatione frequentius in antiquissimis exemplaribus fuisse magno numero exemplorum comprobavi in Prolegg. Cic. Rhet. p. LI.

Cat. 50, 2: Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos lectos et exercitatos orabat in audaciam ut grege facto cum telis ad sese inrumperent.

Verba ista vitio corrupta et obscurata hunc fere in modum explanari atque emendari licet: orabat ut aut clam aut grege facto cum telis ad sese inrumperent. Nam qui agmine incedunt, propalam ingrediuntur, liberti autem furtim etiam se insinuare ac dominum suum eripere poterant.

Cat. 52, 29: non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando agundo bene consulundo prospera omnia cedunt. Sententiarum ratio haec est: secundam fortunam virtute potius parari quam votis. Quare quoniam latine dicitur vel prospere aliquid cedit vel prosperum aliquid cadit, hoc autem fortunae notionem admixtam habet, emendari debet, prospera omnia cadunt, cf. Caes. b. c. III 73: si non omnia caderent secunda, fortunam esse industria sublevandam.

Cat. 45, 4: Volturcius ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinum obtestatus, quod ei notus erat, postremo timidus ac vitae diffidens velut hostibus sese praetoribus dedit.

Hostes dediticii fiunt. Et Volturcius primo amicitiam gerebat, deinde desperans tamquam dediticius in praetorum fidem se suaque permittit. Corrigendum ergo videtur: velut hostis.

Iug. 53, 5: At Romani, quamquam itinere atque opere castrorum et proelio fessi letique erant, tamen instructi intentique obviam procedunt. Quoniam certe non laetitia militum, sed extrema lassitudo commemoratur, corrigendum opinor fessi confectique, i. e. confectique. Liv. I 23, 9 ut fessos confectosque simul victorem ac victum adgrediantur. Cis. Cat. II 24 gladiatori illi confecto et saucio. Caes. b. c. II 39, 6 at illi itinere totius noctis confecti.

Iug. 4, 5: Saepe ego audivi Q. Maximum P. Scipionem, praeterea civitatis nostrae praeclaros viros solitos ita dicere, cum maiorum imagines intuerentur, vehementissime sibi animum ad virtutem accendi.

Sallustius aut testimonia certorum quorundam hominum proferre aut communem nobilitatis opinionem repetere ac praedicare potuit, utramque rationem miscere et confundere non potuit, quin testimoniorum vim et auctoritatem communis opinionis commemoratione debilitaret. Quod cum ita sit, praeterea errore scribarum ex praeter ceteros ortum suspicor.

